ULTIMUM DONORUM, ET MAXIMUM

SIVE


DE S. SPIRITUS ADVENTU ORATIO

HABITA CORAM SS. DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI. PONT. MAX.

AB ALOYSIO CORBELLI
Seminarii Romani Convictore.





ROMÆ, MDCCVII. Apud Zenobium Typographum, & Scalptorem SS. D. N.

SUPERIORUM PERMISSU.

ORATIO.



Ccleſiæ *ſemita*, BEATISSIME PATER, *tamquam lux ſplendens*, ante quàm Dominus Prov. c 4.
moreretur, exorta eſt: antequam in Cœlum aſcenderet, *crevit*: Cùm verò miſſus è Cœlo Spiritus capiti Apoſtolorum inſedit; *Proceſſit uſque ad perfectam diem*. Triplex hic Eccleſiæ Status, infantia ſcilicet, adoleſcentia, & maturitas, triplex fuit Divini Sponſi Donum; quorum ultimum maximum eſt, quia per illud Eccleſia deducta eſt *ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Ad Eph. cap. 4.

Et quidem ſi Eccleſiæ conſideretur Infantia; quàm parùm illa Magiſtri reſpondebat induſtriæ! Docebat ille rerum terrenarum contemptum: animum ſuadebat injuriarum immemorem, in adverſis fortem, in ſecundis temperatum, mortis minimè timidum, eorum demum, quæ natura refugeret, cupidiſſimum, quæ natura cuperet, contemptorem.

Sed tam ſublimis philoſophandi methodus à rudi Apoſtolorum ingenio probari vix poterat. Hinc Alii ultrices è Cœlo flammas

in

213

Luc. c. 9 in Samaritanos accerſere: Alii, quis eorum
Marc. c. 9. videretur eſſe major contendere: Alii primas
Matt. c. 20. Regni Sedes aucupari: Hic ſpe lucri tranſverſum agi, & proditionem adornare in innocen-
Matt. c. 26. tiſſimum Caput: Ille abnegare Magiſtrum:
Ibid. Omnes demùm fugere; cum eorum Paſtor quæreretur ad necem.

En primam naſcentis Eccleſiæ faciem, cujus maculas ut Cœleſtis Sponſus ablueret; Doctrinæ beneficio beneficium Sanguinis ad-
Marc. c. 16. didit. At oh Diſcipulorum incredulitatem,
Matt. c. 27. cordiſque duritiem! Filium Dei crediderunt, qui illum occiſum viderant, immò qui occi-
Cap. 28. derant. Crediderunt vivum, qui cuſtodierant Sepultum. Qui verò Magiſtrum vide-
Matt. c. 9. rant, aut attollentem è feretro Filium unicum Matris ſuæ, aut excitantem è mortis ſomno
Joan. c. 11. Principis filiam, aut evocantem Lazarum è
Auguſt. tract. 50. in Joan. ſepulcro; ſuadere ſibi non poſſunt, quod, qui ſuſcitaverat mortuos, ſe ipſum ſuſcitaſſet occiſum. Hinc Alii Mulierum teſtimonia contemnere: Alii ſenſuum ſuffragium expetere:
Joan. 20. Alii ſpem omnem obtinendæ Redemptionis
Joan. 24. deponere: Alii conqueri, quod votis exciderint: Alii tempus exquirere, quo Iſraëliticus Populus Romanorum Cœſarum jugo ſubduce-



CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

ALOYSIUS CORBELLI
FELICITATEM.



N *Tuis advolutam pedibus*, BEATISSIME PATER, *Orationem hanc meam, timidam illam quidem & pudibundam, non quod tanti Principis Majestatem reformidet, quam nobis exhibes mira humanitate temperatam: Sed quia coram illo Pontifice habita est, qui non minus audire consuevit, quam audiri, nobisque ea tempora reddidit, quibus Ecclesiarum Pastores dicentes ad Populum videbantur identidem. Quod si commune Populorum votum est, oculis saltem conspectum Principis usurpare;*

Vide

Vide, BEATISSIME PATER, *quantùm nostram felicitatem exaggeres; si nobis non modò tàm sæpè sacris operantem videre Te liceat, sed etiàm non rarò audire dicentem. Salomonis Aulicos felices esse dicebat Austri Regina: Non quod omnium potentissimo Principi, sed quod omnium eloquentissimo famularentur. At proh quanto nos feliciores, quibus à Deo constitutus est Princeps, qui non modò voce nos instruat, sed exemplo! Isthæc laus, quæ Tibi cumulatissimè contigit, defuit Salomoni. Repræhendebat ille in Aliis, quæ in se laudare non poterat, & laudabat in Aliis, quod in se omninò repræhenderet: si non aliis solùm, sed etiam sibi sapiens esse voluisset. At in Te*, BEATISSIME PATER, *quàm egregiè moribus tuis tua Doctrina respondet! Aliis datur legere, quæ nos audierimus: Nobis & datur audire quæ dixeris, & videre quæ laudabilitèr facis. Quanta enim tua est erga cujusque sortis homines comitas, & humanitas! Quantum dilatandæ Fidei studium! quanta in tàm frequenti sacrarum rerum tractatione Majestas, & quidam veluti Divinitatis sensus, ac sapor! Ita omnia administras, & curas; ut singulis quodammodo praesse videaris. Nunc culpas confitentibus aurem præbes: nunc ægrotos invisis: nunc morituros inungis: nunc etiam aquis lustralibus abluis, quidquid in Adamo peccatum est. Illud unicè nobis optandum superest, ut ad Ecclesiæ felicitatem diutissimè vivas: Exoratique votis communibus Superi non Principem mutent sed tempora: Habeasque Europam qualem mereris, non qualem habes.*

ORA-

duceretur: Omnes demùm continere ſe domi; ne Populi furor, quem Magiſtri morte compreſſum eſſe non ſenſerant; Diſcipulorum etiam cæde expleretur. *Act. cap. 1.* *Joan. c. 20*

En alteram Eccleſiæ adoleſcentis faciem nondum uſquequaque pulcherrimam, quia nondum illam miſſus è Cœlo Spiritus ad maturitatem adduxerat. At ubi primùm *factus eſt de Cœlo Sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis*: Ubi primùm ſuper Apoſtolorū capita Cœleſtis flamma conſedit; Tunc enim verò nova Eccleſiæ facies *non habens maculam neque rugam*: Tum longè aliud humanarum divinarumque rerum Judicium. Qui ad Ancillæ trepidaverat vocem: qui Dominum ſequebatur à longè, alieni contemplator periculi, expers ſui; Nunc *virtute indutus ex alto*, prodit in lucem, Cruciſque Myſterium tibi, Roma, tàm feliciter prædicat; Ut *quæ fueras Magiſtra erroris, diſcipula fieres Veritatis*. Qui primas Regni ſedes, qui Taboris domicilium amaverant; Qui Crucem deteſtabantur, ac fugerant, ſeque propter Judæorum metum intra domum occluſerant; Nunc mutatis in contraria ſtudiis, mortem aucupantur, & vulnera: nunc gaudent, *Act. cap. 1.* *Ad Eph. cap. 5.* *Luc. c. 24.* *Leo Serm. in Nativ. Petri, & Pauli.*

dent,

Act. c. 5. dent, *quia digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati*: Nunc intèr ſe Terrarum Orbem partiuntur, ac dividunt, ut illum veritate illuſtrent, charitate foveant, ſudore fœcundent, & ſanguine.

Oh ultimum, ſed maximum Sponſi donum! Oh ſplendidam Eccleſiæ metamorphoſim! Utinam iſthæc Eccleſiæ maturitas, quoniam occaſum timere non poteſt, ſenectutem non ſentiat. Non ſentiet autem, ſi Orbis Univerſus ſonum illum exaudiat, qui hodiernâ die Sionis domum implevit: auram illam reſpiret, quæ excitatum in Apoſtolorum pectore Charitatis ignem eventilavit: loquaces illas linguas intelligat, quæ primos Eccleſiæ Magiſtros erudierunt ad Fidem.

